



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Sectio III. De Restitutione in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)

falarium negant: publici ministri, qui ultra taxam exigunt; qui dominorum suorum bona sibi tradita non diligenter custodiunt: qui se pauperes esse simulantes eleemosynam petunt; qui falso testimonio alteri bona rapiunt, aut damnum inferunt, qui tributa, vel decimas non solvunt: Principes, qui populos insolitis onerant tributis, non ut Reipublicæ consulant, sed ut avaritiam suam vel ambitionem expleant: Clerici Beneficia possidentes, quorum functiones exercere non valent: qui Beneficia emunt, aut indignis conferunt: decoctores, usurarii, monopolia exercentes, vel bona sua dissipantes: hi omnes contra hoc Præceptum peccant. Verum a reliquis peccatis peccatum hoc valde differt; non enim satis est hujusce peccati veniam a Deo postulare, sed insuper illi, cui damnum allatum est, fieri debet restitutio. Quamobrem exacte mihi de restitutione est agendum; pauci siquidem recte illam intelligunt, & paucissimi exequi volunt.

♦♦—————♦♦

SECTIO III.

DE

RESTITUTIONE IN GENERE.

CAPUT I.

Restitutionis Notio, Obligatio & Origo.

Restitutio justitiæ est actus, quo cuique redditur, quod illi raptum est, aut utcumque ab illo acceptum. Si justitiæ hic est actus, non est

est illi miscenda vanitas, ut illi faciunt, qui pro eo quod restituant iis, quibus aliquid surripuerunt, templa ædificant, altaria ornant, suumque ibi nomen inscribunt. Sed de hoc plura postea.

Facillimum est aliena rapere, & solers quisque ad furandum ingenium habet, sed arduum & difficillimum est aliena restituere. Agebant sanctus Rex Ludovicus, aliena numquam esse rapienda; nam in verbo *Reddere* nimis abundat *R*, quo fit, ut verbum istud ægre admodum pronuncietur. Nihilominus gravis restituendi obligatio, ac necessitas in sacra Scriptura æque ac in sanctis Patribus invenitur. Apud Ezechielem de impio legitur: *Si egerit pœnitentiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, vita vivet (cap. 33.)*. Et Apostolus ait: *Reddite ergo omnibus debita (Rom. 13.)*. Si res aliena (inquit sanctus Augustinus *Epist. 54. ad Macedon.*) propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Hinc illud pervulgatum est axioma: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Suas Deus injurias quoquomodo liberaliter dimittit; sed proximo illatas reparari jubet, priusquam misericordiam largiatur.

Admirandum potius, quam imitandum restitutionis exemplum Zachæus in Evangelio præbet (*Luc. 19.*), hoc maxime ævo, quo illum adhuc publicanum plures sequuntur; sed pauci admodum pœnitentem imitantur; hinc illa rara est domus, de qua pronunciare liceat; *Hodie huic*

huic domui salus facta est. Magni fures æternæ salutis jacturam pati malunt, quam raptas divitias, sibi, & filiis partam dignitatem amittere. Sibi facile blandiuntur, novorum Casuistarum amplectentes sententiam, qui eos a restituendi onere liberant, & tot vanas distinctiones, ac falsas subtilitates in hac materia excogitant. Quemadmodum enim actiones plerasque a peccato immunes asserunt, ita restitutionis obligationem ab illis amoveant, uti ex sequentibus palam fiet.

Restitutionis obligatio triplici ex radice oritur. 1. Ex re accepta; 2. Ex injusta acceptione; 3. Ex injusta actione. Ex *re accepta* restituere debent illi, qui bona fide, ac justo titulo rem alterius detinent, quales sunt depositarii, commodatarii, conductores, inventores &c. Ex *injusta acceptione* restituere fures, raptores, alii-que injusti detentores, ac male fidei possessores tenentur. Ex *injusta actione*, seu læsione restituendi onus iis incumbit, qui proximo in bonis suis damnum voluntarie inferunt, quantumvis ipsi nullum exinde emolumentum capiant (a).

Ad

(a) Non ex quacumque injusta actione, sed tali, qua justitia commutativa læditur restituendi obligatio oritur. Nam justitia, quæ est constans, ac perpetua voluntas, seu virtus inclinans voluntatem ad perpetuo jus suum cuique tribuendam, triplex est, videlicet *legalis*, quæ inclinat voluntatem membrorum civilium ad jus suum communitati, vel Principi tribuendum: *Distributiva* quæ inclinat voluntatem Principis, vel Magi-

Ad istam classem spectant incendiarii, agrogrum depopulatores, hominum, pecorumque occisores, & id genus alii, quibus vindictæ aut indomitæ passioni satisfacisse summa voluptas est. Huc quoque reducendi, qui actu etiam venialiter peccaminoso damnum grave alteri inferunt. Sic qui nugando, vel indignando alterius horreum, vel ædes incenderet, ac combureret, refarcire damnum teneretur; quia ipsi voluntarium est peccatum, cujus pœnam pati debet, ne alter omnino innocens gravetur. Sæpe etiam ob solam inadvertentiam, aut culpam, ut vocant, *juridicam* Judex restitutionem imponit, cujus sententiæ parendum est. Imo propter commissam negligentiam ante omnem judicis sententiam restituere obligantur qui ex officio, vel contractu quodvis a proximo vel cive damnum

Magistratus ad jus suum membri seu subditi tribuendum: *Commutativa* quæ inclinat voluntatem unius membri ad jus suum alteri membro tribuendum. Hæc sola jus stricte sumptum respicit, quod ex pacto, contractu, dominio, aut alio privato titulo ortum respicit, adeoque ex hujus solummodo violatione restituendi obligatio promanat. Sæpe tamen justitiæ legali, aut distributiivæ commutativa miscetur; quia variis in materiis per pactum saltem implicitum Princeps, vel communitas membri, & membra communitati se obligasse censentur. Sic civis defraudatus steuras Principi, vel Magistratui reddere, & Princeps ignavos, aut imperitos Præsides, vel Judices constituens damna inde subditis obvenientia refundere tenetur; quia id mutuum pactum saltem tacitum & nata exinde stricta obligatio exigere videntur.

Quinam teneantur restituere. 161

num avertere tenentur, de quibus singulatim infra dicemus.

Omnia fere, quæ circa restitutionem sunt consideranda, duobus hisce versibus continentur:

*Quis, quid restituet, cui, quantum, quomodo, quando;
Ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.*

Horum explicatio in iis, quæ sequentur capitibus fiet.

C A P U T II.

Quinam teneantur restituere.

Omnis, qui alienum possidet, restituere tenetur. Triplici autem modo quis possidere alienum potest, videlicet bona fide, mala fide, dubia fide. Triplicis quoque generis fructus ex re possessa consequi possunt: nimirum *naturales*, qui naturaliter absque humanæ industriæ interventu nascuntur saltem quoad substantiam, uti gramina pratorum, lana, lac, fœtus animalium, fructus arborum &c.: *industriales*, qui non tam ex re quam industria proveniunt, ut artefactum, negotiationis lucrum &c.: *mixti*, qui partim ex re, partim ex humana industria fluunt, ut caseum, butyrum, segetes, vinum, plantæ.

Possessor *bonæ fidei*, qui nempe ab ipsa possessionis origine rem suam esse putat, aut saltem esse alienam ignorat, quamprimum alieni scientiam

Godeau Theol. Mor. Pars II.

L

tiam

tiam acquirit, auditque, illum, a quo rem quamdam accepit, injuste eam acquisisse, adeoque ejusdem dominium numquam habuisse, rem illam aut creditoribus, aut legitimis hæredibus reddere tenetur. Quodsi non faciat ex eo tempore malæ fidei possessor evadit. Ejusmodi autem bonæ fidei possessor neque ad lucrum cessans, neque ad damnum emergens, sed simpliciter ad rem domino suo restituendam obligatur, sicut & ad fructus naturales nec non mixtos, quæ naturales, adhuc exstantes, & illud, in quo factus est ditior, dum re illa utendo suis peperit: unde si ad convivium invitatus quis fuerit, ubi eo inscio dapes ex furto apponuntur, desuper informatus id restituere teneretur, quod domini pro prandio suo expendisset. Si autem sumptum jam domestico prandio furtivi hujusmodi convivii inscius particeps fieret, ad nihil postea teneretur. In casu, quo quis rem furtivam, sibi donatam, vendidisset, pretium, si res ipsa repeti non posset, foret restituendum, si autem rem illam vel pretium alteri donasset, illamque vel hoc repetere nequeat, ad nihil ultra tenetur, quia bona fide processit, nec inde ditior est factus. Idem dicendum; si res exempli gratia equus bona fide acceptus apud ipsum perit, aut ablatum fuit. Quodsi quis equum bona fide emat, postea furtivum agnoscens, eundem non furi sed domino tenetur restituere, quia res clamat ad dominum; potest tamen etiam coram iudice suum pretium a fure repetere, qui si non amplius compareat, infortunio tribuendum erit. Ast si durante adhuc bona fide equum denuo vendi-

vendit, domino equi nihil nisi forsan lucrum reddere tenerur; quia pretium suum, quod prius solverat, retro accepit.

Possessor bonæ fidei juxta leges civiles potest præscribere, & elapso certo tempore rem sibi vindicare, eamque tranquille retinere, licet eandem alienam fuisse postmodum deprehendat. Huic tamen regulæ omnino fidere non oportet; Nobilis enim, qui exempli causa quadraginta annorum præscriptione prædium possideret, quod falso prædecessorum suorum testamento, falsæ donatione obtinuit, tutus non esset in conscientia, si illud legitimorum hæredum, aut creditorum damno sibi vindicaret. Christianæ justitiæ lex civilis justitiæ legibus in hoc casu præferenda videtur (a).

Malæ

(a) Præscriptionem haud secus ac sententiam injustam, quæ in rem judicatam transit, pro foro solum externo valere communis antiquorum Theologorum contra Juristas sententia fuit. Eandem graves nostri ævi Doctores, præcipue Lovanienses sunt secuti, quibus communior recentiorum Theologorum refragatur opinio. Circa subtilem hanc controversiam S. Raymundi consilium placet, qui ait: *Consulerem ei (præscribenti alienum rescienti) ut restitueret saltem propter ambiguum duplicitatis, Et quia vix poterunt concurrere omnia, quæ exiguntur ad præscriptionem. Si nollet acquiescere, non audeo ipsi dare securitatem, quod sit in statu salvandorum per jura pro prima parte adducta. Non audeo etiam præcise definire cum teneri, vel esse propter hoc in statu damnandorum, præsertim cum sic videatur serva-*

Malæ fidei possessor ille est, qui rem, quam possidet, scit esse alienam, sive dein ante, sive post inchoatam possessionem istam scientiam acquisierit. Hic nãdum rem, ejusque fructus naturales & mixtos, sed & lucrum cessans, & damnum emergens domino restituere tenetur. Idque verum est, etiamsi res consumpta, destructa, aut iterum alienata fuerit. Si tamen res ex vitio intrinseco, aut communi infortunio, exempli gratia ex incendio apud iniquum possessorem periit, propter quod æque certo apud dominum periisset, restituenda sub peccato non est; quia hujusmodi ablatio, vel detentio injusta in affectu quidem, non tamen in effectu domino damnosa fuit: verum non ex intento, sed secuto damno restitutionis obligatio oritur; alias, qui furtum est meditatus, sed impeditus, jam restitutionis lege teneretur, quod est nimium.

Possessor *dubiæ fidei* est, qui de rei possidendæ, aut possessæ proprietate dubitat. Si antequam possessio inchoetur, dubium prudens suboriatur, sine venditor, donator, testator &c. rei vendendæ, donandæ &c. dominus, possessio inchoari nequit, sicque inchoata malæ fidei possessioni æquivaler; præscriptioni fundandæ impar est, nec meliorem possidentis conditionem efficit: hinc res vel cum alio, æquale jus habente, dividi, vel tota alteri, cui fortius jus competit, relinqui debet, aut in defectu illius pauperibus erogari.

Qui

re per universum orbem, quocumque se diffundit, Ecclesia.

Qui inchoata jam possessione de rei proprietate dubitare fundate incipit, in veritatem indagare tenetur; hoc si negligat, aut procrastinet, comperta postmodum injusta rei acquisitione, nondum rem, sed & fructus interea consumptos restituere, aliaque malæ fidei possessoris onera subire in conscientia tenetur. Si neglecta debita investigatione veritas postea detegi amplius non possit, quia exempli gratia mortui sunt illi, qui ipsam noverant, tenetur dubitans rem cum illo dividere, quem illius dominum esse dubitat, aut cum pauperibus, si dominum nequeat reperire. Ratio est; quia cum debitam diligentiam omiserit, ipse est in culpa, ideoque pœnam pati debet, quæ & negligentia suæ, & probabilitati inveniendæ veritatis debet respondere.

Quodsi post congruam diligentiam adhibitam veritas adhuc lateat, ac æquale utrimque dubium maneat; potest ille, qui possidet, rem sibi vindicare, quia juxta Juris regulam in dubio *melior est conditio possidentis*. Possit etiam rem illam vendere, dummodo emptorem de hoc dubio moneret.

CAPUT III.

Quinam ex injusta actione restituere teneantur.

Actio, quæ ad restitutionem obliget, contra justitiam esse debet, quod quadrifariam potest evenire I. impediendo, ne quis rem aliquam

quam acquirat, aut lucrum aliquod faciat: 2. illi
 damnum inferendo: 3. ipso invito rem suam
 illi rapiendo: 4. aliena bona retinendo.

Qui alterum impedit, ne lucrum aliquod
 faciat, quod absque hoc impedimento iuste fe-
 cisset, istud illi lucrum restituere tenetur. Quod
 si alter iniuste dumtaxat facere lucrum potuisset,
 tunc nulla adest restituendi obligatio; nullum
 enim jus ille habet ad lucrum, quod impedi-
 tur. Hinc qui testatorem a legato faciendo im-
 pediret, ad legati restitutionem teneretur, si
 iniuste impediret; si enim jure impediret resti-
 tuere non teneretur. Casuista quidam graviter
 hic hallucinatur. Aliquem, inquit ille, impe-
 dio ab obtinenda hæreditate, aut Beneficio;
 quandonam ad restitutionem teneor? Respondet
 cum ejusdem farinae Auctoribus, tunc teneor,
 quando vi, aut dolo impediui; non autem si
 precibus, blanditiis, aut donis, ista siquidem
 libertatem non auferunt. Quasi vero potentis
 personæ preces respectu personæ infimæ iustæ
 non essent; vel munera ad justitiam lædendam,
 & quodlibet obtinendum apta non essent; &
 quasi hujusmodi quoque rebus damnum alteri
 non inferretur.

Qui artifices ab opere impediunt, aut neces-
 saria ipsis instrumenta auferunt, damnum sarcire
 debent, quod artifices cessando ab opere patiun-
 tur. Hinc Judices, qui ex negligentia aut in-
 iusta alia de causa reos diutius quam oportet in
 carcere detinent, damna tenentur rescire, quæ
 ex hac dilatione reis obveniunt. Ad rescienda
 pariter vasallis suis damna tenentur Nobiles,
 qui

qui illos injuste carcere damnant, aut ab excolendis suis agris impediunt.

Damnum alteri potest inferri vel in anima, vel in corpore, in bonis, vel in fama. Qui alterius animæ nocet, illumque vel ad mortale peccatum, vel in errorem pertrahit, eundem ad pœnitentiam debet postea exhortari, & removere ab errore. Alterius corpori nocetur, quando verberatur, vulneratur, mutilatur, aut occiditur. Si alterius mancipium occiditur, ejusdem pretium domino est solvendum; si vero feriatur, remediorum expensæ solvendæ sunt. Si homo liber occiditur, ejus hæredibus necessariis, filiis, & uxori damna sunt reparanda, quæ ex ejusdem morte patiuntur: quod si suis ille laboribus filios alebat, ipsis alimenta sunt præstanda, si pater nulla illis bona reliquit. Si aliquis vulneratus, aut mutilatus fuit, qui labore suo victum sibi lucrabatur, remediorum expensæ sunt solvendæ, & operæ restituendæ, quas amisit; quod si debilis, aut mancus toto vitæ suæ tempore ob acceptum vulnus esset futurus, huic alimenta essent præstanda. Id verum est, si injuste ille verberatus, aut mutilatus fuit; nam si jure id factum fuit, nulla restituendi adest obligatio. Si quis domos & spicarum manipulos combussit, & arbores vineasque succidit, damnum debet reparare, sive per se id fecerit, sive per alium. Hic casus in plerisque Dicecibus est reservatus, & a magistratibus punitur. Idem de illis dicendum est, qui animalia sua in vicinorum prædiis pascere sinunt, ubi damnum

afferunt. Hi restituere tenentur, multamque præterea solvere, quæ juxta locorum varietatem varia præscribitur. Si casu & absque culpa alienum prædium grex ingrediatur, nulla adest restitutionis obligatio. Civiles leges canonicæque præscribunt, ut si alienum prædium bestia vastavit, vel damnum farciatur, vel bestia ipsa prædii domino cedat. Hæc mihi opinio verior videtur, quia civiles canonicæque leges in publicum commodum sunt conditæ, ut gregum domini diligentius caveant, ne vicinorum prædiis greges sui noceant.

Qui ligna in sylvis communibus cædunt, non peccant, nisi hac licentia nimium abutantur cum damno communitatis, ad quam sylvæ spectant; hoc enim casu restituere tenerentur. Si particularium sint sylvæ, ligna in iis cædere non licet absque domini consensu; pauperes tamen excipere, qui pauca inde ligna pro suo usu possent auferre, quin ad restitutionem tenerentur. Harum sylvarum domini, sive Nobiles, sive Principes non adeo rigidi esse debent, ut ingentibus multis, aut corporalibus pœnis illos puniant, qui pauca ligna pro necessario usu in eorum sylvis cædunt.

Quod aucupium concernit, aliæ domesticæ sunt aves, aliæ sylvestres. Qui domesticas aves rapit, peccat, & ad restitutionem tenetur; veluti qui columbas, gallinas, similesque in nidis furantur, aut postquam jam adoleverunt. Quoad sylvestres, qui illas occidit, non peccat; hæc etenim ad neminem spectant. Si vero falco,

aut

aut accipiter occiderentur, qui ad dominos suos pertinent, illorum pretium esset restituendum.

Qui pecuniam accepit, ne malum opus patraret, exempli gratia, ne aliquem occideret, acceptam pecuniam restituere tenetur. Ratio est, quia sicut acceptam pecuniam restituere tenetur qui illam accepit pro opere, quod ex justitia facere debet; ita restituere tenetur, qui pecuniam accepit ne opus faceret, quod jure facere nequit. Si vero pecuniam quis accepit ne opus faceret, quod facere jure poterat, licet ab aliqua alia virtute id facere prohiberetur; tunc nihil tenetur ille restituere.

Inter rem juste, & injuste acceptam hoc intercedit discrimen, quod cum res juste est accepta restitutionis onus solum ad possessoris hæredes, aut fidejussores transeat, cum vero injuste est accepta, per octo personarum genera restituendi obligatio serpat, ita ut aliis deficientibus, quemlibet in solidum stringat. Transit namque 1. ad *mandantem*, qui alteri damnum inferri jussit, 2. ad *consulentem*, qui ad damnificandum proximum suasionem, promissis, instructione induxit, 3. ad *ratihabentem*, qui injusti facti approbatione facit, ut damnum majus vel inferatur, vel jam illatum non resarciatur, 4. ad *palponem*, qui laudibus vel timiditatis exprobratione ad damnum inferendum quemdam commoveret, 5. ad *recipientem*, qui furem, remque furtivam occultat, ac tuetur, 6. in *participan-tem*, qui in actione injusta, aut re ablata participem se fecit, 7. ad *mutum, & non obstantem*, qui

qui nempe præcepto, minis, monitis, prout ex officio debebat, damnum non impedit, §. ad *non manifestantem*, qui crimen, ejusque auctores scit, nec tamen revelat, prout ex officio, vel contractu &c. tenetur uti tenentur satellites, apparitores, alique publici justitiæ ministri: unde si privatus civis furem vicini sui domum ingredi videt, eumque nec admonet, nec impedit, nec manifestat, contra caritatem, non contra justitiam peccat, quia ad hoc ex officio non tenetur (a). Econtra si testis in judicio citatus veritatem dissimulet, damnum hinc alteri obveniens reparare tenetur; nisi ex præcedentibus testimoniis contrariis ferri sententia possit, nec ullum pondus ipsius testimonium negotio afferret.

Hinc & caupo, qui filiisfamilias, quos parentibus suis pecuniam furripere novit, vinum dapesque porrigit, ab his acceptam pecuniam tenetur restituere. Restitutione pariter est obnoxius, si aleas ipsis aut latrunculos tribuat, ut clam apud se ludant. Item si gallinarum & pullorum fures scienter recipiat, & furivas aves coquat, illisque porrigat; tunc enim formalis est receptor.

Sarto-

(a) Novem itaque modis ad injustam proximi lesionem cooperari quis potest; sex priores *directi* & *positivi*: tres posteriores *indirecti*, & *negativi* sunt; omnes hoc metro clauduntur:

Jussio, Concilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans; Mutus, non Obstant, non Manifestans.

Sartores, aliique artifices, qui a famulis vel ancillis pro opera sua oleum, vinum, panem, aut similia accipiunt, hæc illorum dominis debent restituere; quamvis enim operæ suæ mercedem tantum accipiant, illorum tamen dominis damnum afferunt, quibus ista clam sublata norunt, servisque furandi animum addunt, ansamque præbent.

Si plures vineam, hortumve ingrediantur, & quidpiam singuli inde auferant, quod simul omne collectum vineæ vel horti domino ingens damnum parit, quantum illorum quisque tenetur restituere?

Distinctione hic est opus: si omnes vineam ingressi sunt, ut furarentur, & se invicem ad furandum incitarunt, singuli in solidum restituere tenentur. Si mutuo se ad furandum non incitarunt, sed singuli alios ingredi conspicientes simul ingressi sunt, singuli quoque damnum facere tenentur, quod eodem tempore effectum est, quia major non adest ratio illud uni potius quam alteri imputandi.

Sed si aliquis quin alios furantes conspiceret, aliquid furatus sit, restituere tantum debet, quantum ipse abstulit.

Si militum agmen injuste oppidum depopuletur, non singuli milites damnum tenentur reficere, quod agmen universum patravit; sed dux, qui illud permisit, aut jussit. Quod si plures milites se invicem excitantes domum aliquam depopulentur, singuli in solidum tenentur damnum illatum reparare.

CAPUT

CAPUT IV.

Quid sit restituendum.

Illud est restituendum, quod alteri ablatum est furto, aut alio injusto modo, & alienum quidquid injuste detinetur. Ablata res ipsa est restituenda, non ejus pretium, quibusdam tantum casibus exceptis.

Primus casus est, quando res amplius apud illum non exstat, qui ipsam bona fide detinuit, quamvis male fuerit accepta: tunc si absque culpa vel malitia res periit, neque pretium est restituendum.

Secundus casus est, quando res valde est corrupta, tunc rem ipsam oportet restituere, & juxta domini arbitrium damnum refarcire: quod intellige, si quis rem alienam mala fide possedit. Nam qui rem exempli gratia apud se depositam haberet, si hæc absque culpa sua vel malitia corrumpitur, non tenetur nisi qualem nunc habet reddere; atque idem de illo dicendum est, qui rem alienam esse ignorans, apud se illam detinuit.

Tertius casus est, quando qui rem alienam abstulit, nequit ipsam restituere, quin suum peccatum detegat, & infamiam patiatur: tunc sufficit pretium restituere.

Si quis aliquid ex injusta sua actione tenetur restituere, tunc non solum rem ipsam restituat oportet, aut ejus pretium; sed præterea fructus naturales, & mixtos, quos ex illa percepit.

Hinc

Hinc qui aliena prædia possedit, perceptos fructus teneretur restituere, deductis expensis in colendo prædio factis. Qui equum locari solitum detinuit, debet cum equo lucrum perceptum reddere, aut illud quod ejusdem dominus percepisset. Si quis alteri centum nummos abstulit, ex quorum jactura cogatur iste domum suam vendere, aut pecuniam ab usurario accipere, teneretur fur damnum istud reparare. Quod si mercatori pecunia ablata sit, qui merces emere, ex iisque lucrum capere solet, teneretur fur lucrum illud cessans restituere. Verum si res ablata ex se non fructificat, ejus tantum valor est restituendus, non autem fructus: veluti si fur centum aureis nummis, quos furatus est, ad negotiandum utatur, & mille acquirat, sortem tantum teneretur reddere, non autem lucrum perceptum.

Qui deposita pecunia negotiatur, proveniens inde lucrum restituere non teneretur, dummodo depositi restituendi non fuerit in mora.

Qui suppellectili aliqua deposita utitur, aut ex ea lucrum capit, hoc cum domino partiri non teneretur: sufficit ut supellectilem reddat, damnumque reparet, si quod ex suppellectilis usu domino obvenit (a).

Qui

(a) Contrarium Antoine tuetur, atque depositarium ex justitia teneri ad non utendum re aliena apud ipsum deposita; quia non rei usus ei est concessus, sed solum commissa custodia. Quivis quum habet jus, ut nemo utatur re sua sine suo consen-

Qui aliquid mutuo, aut censu, vel alio lito contractu accepit, non tenetur fructus restituere, quos ex eadem re negociando percepit, nisi fraude sua aut mala fide alteri damnum aliquod attulerit. Exempli gratia: qui certo tempore mutuam pecuniam deberet reddere, illa ludendo vel negociando utitur, nec statim tempore illam reddit; tenetur hic damnum reficere, quod creditor ex dilata restitutione patitur: veluti si pecuniam ab usurario petere, gravesque solvere usuras creditor cogatur, si autem ex dilatione nullam creditor iacturam patiat, nullum tenetur debitor damnum eidem reficere.

CAPUT V.

Quibus fieri restitutio debeat.

Eorum plerique, qui ad restitutionem tenentur, aut non restituunt omnino, aut iis non restituunt, quibus oportet. Quod ut intelligatur, animadvertendum est ad quatuor personarum genera posse bona spectare: I. ad veros domi-

nos;
3. ac
patio
F
mini
prud
& pe
gia l
redde
tur.
ablat
restit
& re
pium
filio
dum
posse
dilig
quoc
peric
buer
nus
facie
qua
har
nem
tem
& v
tun
est

consensu: unde qui talem usum usurpat, ius alterius violat, & contra iustitiam peccat; si quoque lucrum inde captum iniustum, ac restitutioni foret obnoxium. Addit tamen domini consensum etiam praesumptum sufficere, huncque praesertim circa pecuniam praesumendum, dum eam dominus saeculo aperto, aut non obsignato, servandam tradit, nec alio indicio, se utendi facultatem denegare ostendit, modo recipiens sit moraliter certus, se eo, quo exigetur, tempore reddere summam posse. *Theol. Mor. Tr. de Cont. tract. cap. 4. Quest. 2.*

nos; 2. ad illos, qui auctoritate aliqua pollent; 3. ad dominorum hæredes legitimos; 4. ad pauperes.

Prima universalis regula hæc est, veris dominis, si noti sint, bona esse restituenda, nisi prudens adesset timor, ne reddita re abuteretur, & peccatum aliquod committeret: veluti si magis libri aut instrumenta fuissent ablata, hæc reddenda non essent, ne illis dominus abuteretur. Si aliquid a fure est acceptum, quod alteri ablatum novimus, id non furi, sed domino est restituendum; nisi malum aliquod fur minaretur, & revera posset timeri. Si quid a puero acceptum est, qui sub patris potestate vivit, id non filio, sed patri est restituendum. Idem dicendum est de furioso, qui armis sibi redditis abuti posset. Si dominus procul absit, adhibenda est diligentia, ut ad illum res ablata deferatur; quod si dominus non reperiatur, nec illum reperiendi sit ulla spes, pauperibus res est distribuenda.

Secunda regula hæc est: si verus rei dominus mortuus sit, restitutio ejus hæredibus est facienda. Quod si restitutionis debitum ex aliqua injuria oritur, veluti ex homicidio, tunc hæredibus solum necessariis restitutio fieri debet, nempe parentibus, patris, fratribus, non autem legatariis.

Tertia regula est: si non adsint veri domini, & vere dubium sit cui fieri debeat restitutio, tunc pauperibus fieri debet, aut in pia opera est eroganda.

Verum,

Verum, ut jam diximus, non debet sibi quicquam in hac re indulgere, nec justitiæ opus in superbiam vertere. Usurarius exempli gratia, qui multam ex usuris pecuniam collegit, & sic a quibus extorserit: item publicanus, qui aut provincias, aut privatos injustis exactionibus vexavit: nequeunt hi extortam pecuniam ædificandis Ecclesiis infumere; sed usurarius debitoribus debet restituere, & publicanus provincis aut privatis, quos læsit, vel xenodochiis, aut opera facere, quæ in publicum commodum redundent. Hæ siquidem Deo factæ oblationes ipsi sunt abominabiles, ut sacræ Litteræ testantur: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata* (*Eccles. 34. 21.*): Qui hæc peragit, furorum suorum, ut ajunt sancti Patres, Deum complicem facit, & in prædæ societatem vocat.

Sancti Ludovici ætate celebris usurarius penitentia ductus Mauritium adiit Parisiensem Episcopum, qui Ecclesiam suam ædificabat, ab eo que petiit, in quodnam pium opus collectas usuras posset expendere. Simplex Episcopus Ecclesiæ fabricam illi proposuit. Deinde usurarius Ecclesiæ Cantorem adiit, pium doctumque hominem, & acceptum ab Episcopo consilium eidem exposuit. Respondit Cantor, se Episcopi sententiæ acquiescere non posse, sed illum hortari, ut præconis voce ediceret, quocumque pressisset usuris, omnes ad se venire, seque omnibus quæcumque illis rapuisset, esse redditurum: his peractis, subdidit, si vis, Ecclesiam construe. Cantoris consilium usurarius est

est amplexus, & præconis ore vocatis creditoribus ingentem illis pecuniæ vim restituit; postea Cantorem denuo adiit, qui illi mox suaserit, ut ad complendam restitutionem aliquid tunc demum ad Episcopum deferret.

Cum intellexisset idem sanctus Rex a Theobaldo Rege genero suo ingens Fratribus Prædicatoribus monasterium fuisse constructum, factum vituperavit, eundemque per Jonvilleum sic monuit; „ Videret quid ageret, nec se deciperet, putans se debita sua omnia solvisse „ ingentibus hisce in Fratres Prædicatores largitionibus. Sapiens enim homo, dum vivit, „ debet bonum testamenti executorem imitari; „ hic siquidem ante omnia testatoris debita debet solvere, & quos ille læsit reficere: si quid „ autem adhuc superest, hoc pauperibus distribuere “. Libenter hæc attuli, ut sancti Regis sententia circa restitutionem cognoscatur; videlicet damna illata prius esse reparanda, & deinde pietatis opera esse facienda.

C A P U T VI.

Quantum, quomodo, & quando sit restituendum.

Tantumdem est restituendum, quantum ablatum fuit, vel quidquid alienum possidemus, ut jam diximus.

Quoad damnum rebus illis illatum, quæ justum suum pretium nondum sunt adeptæ, veluti

ti segetes virides, aut parva animalia, earum valor æstimandus est pro tempore illo, quo ad perfectionem suam pervenissent, si non fuissent ablatae aut corruptae, deductis expensis, quae erant faciendae. Verum attendendum quoque est periculum, cui ante perfectionem suam res sunt expositae; incerta enim res minus quam certa valet. Cum autem domini periculum hoc vendere nollent, major facienda est restitutio, quam valeat periculum, si ex malitia damnum est illatum; si vero casu damnum effectum est, sufficit rem restituere detractis expensis & periculo.

Qui equæ pullum rapuit, cum quinque argenteos exempli gratia valebat, quem dominus alere volebat, & quem postea viginti vendidisset argenteis, tenetur hic viginti argenteos reddere, pretii augmentum siquidem ad pulli dominum spectat, cum rei sit intrinsicum. Verum si ab extrinseco valor augeatur, id solum oportet restituere, quanti res valebat cum rapta est: exempli gratia: Joannes Petro frumenti sacco abstulit, qui tunc quatuor valebat argenteos, & quem Petrus erat consumpturus; si fur frumentum aliquamdiu seruet, & septem postea vendat argenteis, sufficit si quatuor argenteos reddat, quia Petro hoc solum damnum attulit.

Restitutio aut per se, aut per alium fieri potest. Si quis per se restitutionem facere nequeat, oportet, ut illam saltem per alium exequatur, veluti per Confessarium, aut prudentem aliquem gravemque virum. Quod si per
sona

sona illa, cui restitutio facienda committitur, hanc non faciat, sed rem sibi vindicet, restitutionis obligatio non cessat.

Præstat per seipsum restitutionem facere, præsertim si mutuo aut in depositum res accepta est: quod si ille, cui res restituenda traditur, hanc furetur, restituendi obligatio perseverat.

Qui totum simul restituere tenetur, debet id exequi; si vero cum integram restitutionem facere possit, illam differt, peccat; & quo plus differt, eo magis peccat: quoties autem restituere potest, & negligit, toties peccat. Id attendant, quicumque debita sua solvere, & ablata reddere ad mortem usque differunt, vel solum testamento suo restituunt. Hi in peccato moriuntur; quemadmodum etiam qui bona incerta possidentes non investigant, an hæc ad se pertineant, illaque cum hoc dubio hæredibus suis testamento relinquunt.

Porro quandonam judicandum est, non posse aliquem commode restituere?

Primo si quis restituere statim nequit, absque vitæ suæ vel honoris periculo, potest restitutionem differre. Quando sine gravi suo damno restituere nequit, potest restitutionem differre, dummodo creditor idem damnum non patiatur: verum attente damnum hoc est examinandum, & tale esse debet, ut qui patitur, illud ferre non teneatur. Exempli causa, si quis restituens in extremam egestatem laberetur, quoniam bona sua vilissimo pretio vendere cogere-

geretur, posset restitutionem differre; non vero differre illam posset, si lucrum dumtaxat amitteret, quod ex alienis bonis capit, aut capere potest; capere siquidem lucrum nequit ex sua iniquitate. Excipe quoque, si debitor culpa sua in eam necessitatem incidit, ut sine gravi suo damno restituere nequeat; hoc enim casu statim restituere debet.

Quæritur autem, an cum vitæ suæ periculo restituere quis debeat, quando creditor periculum idem subit. Scotus & Navarrus putant debitorem in hoc casu teneri ad restitutionem. Addit Navarrus, tunc solum restitutionem esse faciendam, quando res ablata apud debitorem exstat: exempli gratia si, quis alteri panem abstulit, antequam hic in extremam egestatem incideret; postea autem eandem ambo paterentur, ita ut alteruter absque pane illo fame periret; deberet fur alteri panem reddere, ipse vero mortem oppetere.

Quoad infamiam, ejus timor a restitutione non excusat; nam humanus pudor conscientie, & divinæ legi cedere debet, quæ restituere aliena jubet. Industria tamen aliqua uti fur potest, ne detegatur; nam sufficit, ut res ablata domino revera restituatur, qui curiosius de fure restituente non debet inquirere.

Qui in extrema sua necessitate aliquid alteri furripuit, id restituere tenetur, si secundiorum fortuna utatur; nisi illud in eleemosynam acciperit.

CAPUT

CAPUT VII.

Quo ordine & loco sit restituendum.

Duplex restitutionis ordo est adnotandus. Unus eos, qui restituere tenentur, concernit, alter illos attingit, quibus fieri restitutio debet.

Quoad eos, qui restituere tenentur, iste servandus est ordo. Imprimis restituat oportet, qui rem alienam sive in se, sive in æquivalenti detinet, aut consumpsit. Si plures de eadem participarunt, quilibet pro rata suam videlicet partem restituere tenetur; hisce non restituentibus, restitutionis onus devolvitur 2. ad mandantem, sive eum qui jussione, vi, metu, fraude alium ad damnum tertio inferendum induxit, 3. ad exequentem ceu illius instrumentum, 4. ad consentientem, 5. ad laudantem, 6. ad recipientem, 7. tandem ad eum qui tacuit, non obstitit, non manifestavit, uti potuit, & vi muneris, ac officii sui debuit (a). Hi omnes sicut in furti peccato communicant, ita & communem

(a) Iste restitutionis ordo *indirecte* eos solum obligat, qui vi officii, vel contractus ad loquendum, resistendum &c. adstringuntur; *directe* autem illos, qui efficaciter, seu cum effectu ad injustam damnificationem quidquam contulerunt. Hinc si mandans vel consulens re adhuc integra mandatum, vel consilium serio revocet, aut si fur jam antea efficax furandi propositum habuerit &c. stricta restituendi obligatio in sure sistit; aliosque non attingit. Ita communis,

munem restitutionis obligationem habent, adeo, ut si prior restituere aut non velit, aut non possit, sequens ad hoc *in solidum*, seu totum suppleendum teneatur, nisi forsan ad partem præcise illius facta cooperatio fuisset. Quodsi posterior vel libere, vel aliunde coactus restituisset, recompensationem a prioribus petere possit; si vero debitum principaliori est remissum; nisi exceptio sit apposta, remissum quoque, cooperantibus censetur.

Hoc præsupposito restituentium ordine, circa res restituendas, aut *personas*, quibus restitutio est facienda, Doctores hasce assignant regulas.

Prima regula hæc est: Quando aliquis rem alienam habet, sive illam furatus fuerit, sive invenerit, sive apud se depositam habeat, hanc legitimo domino debet restituere; quem si non reperiat, pauperibus illam distribuat.

Secunda est, res certas prius esse restituendas, illas videlicet de quarum vero domino constat, antequam reddantur illæ, quarum dominus est incertus.

Tertia est, debita legitime contracta prius esse solvenda, deinde illa quæ non legitime contracta sunt. Exempli gratia, usurarius debitis obstrictus sua prius debita solvere debet, quam usuras, quas exegit. Attendendæ quoque circa hanc solutionem leges & consuetudines loci, quando justæ sunt; cum vero sunt injustæ, standum est juri communi. Dos mulieris prius est solvenda.

Causa a restitutione excusantes &c. 183

solvenda; sed hujus dotis prætextu non sunt fraudandi creditores, ut in quibusdam provinciis iniqui solent mercatores. Deinde restituenda prius sunt bona creditoribus hypothecata. Tertio deposita, quæ apud debitorem periere. Quarto prius illis solvendum est, qui speciale exigendi privilegium habent. Quinto veniunt loco creditores communes, inter quos priores tempore sunt anteferendi.

Quoad restitutionis locum, si solum ex re accepta facienda sit restitutio, non cogimur eam ibi facere, ubi ejus dominus moratur, si longe distet, satis est illum de facienda restitutione monere. Hinc si quis exempli causa aliquid a fure bona fide emit, sufficit dominum admonere se ad restituendum esse paratum, quin suis sumptibus rem emptam ad illum mittat. Quod si mala fide emptam res esset, cum constet esse furto ablatam, tunc ad dominum, si vellet, esset mittenda, ut nullum damnum ipse pateretur, idque magis adhuc de fure est dicendum.

CAPUT VIII.

Causa a restitutione excusantes recensentur.

Prima & justior causa, quæ a restitutione excusat, est cum creditor debitum remittit. Verum ut valida sit hæc remissio, oportet, ut qui eam facit, potestatem faciendi habeat. Filii familias non possunt parentum suorum credita remittere, nec famuli dominorum, neque villi-

M 4. cus

cus aut colonus domini sui. Deinde oportet, ut remissio sit prorsus libera, non coacta. Tum oportet, ut nulla fraus adsit. Demum, ut nullus quoque adsit timor reverentialis. Hinc Domini, qui vassallis suis timorem incutiunt, aut illos opprimunt, ut sibi debita vel jura remittant, a restitutionis debito non sunt soluti.

Secunda causa, quæ a restitutione excusat, est quando pro re debita justa datur compensatio. Exempli gratia Dominus, qui vassallo suo mille aureos debet, huic tradit officium, quod tantumdem valet, & alteri tantidem vendere posset: hoc pacto Dominus a restitutione liberatur. Verumtamen hoc ad Beneficia non debet extendi; non enim exempli causa licet Episcopo, alterive Collatori domestici sui servitium, vel aliud debitum Beneficii collatione solvere; Beneficia ad civile commercium non spectant, nec iisdem possunt debita solvi.

Tertia causa est bonorum cessio; sed hæc absque fraude fieri debet, nec quidquam creditoribus est celandum, nisi forte quod ad cessionarii vitam est omnino necessarium, vel artis suæ instrumenta, quibus victum sibi comparat. Quod si post cessionem debitor acquirat, unde sua debita solvat, debet id restituere, quod bonorum cessione deest.

Casuista recens ait, posse cessionarium aliquid sibi e bonis suis reservare, ut familiam suam honeste alat; alter vero prioris opinionem secutus addit, id verum esse, etiamsi debita, propter quæ facta est cessio, ex injusto & aper-

te iniquo furto promanent. Veluti si quis a pluribus pecuniam mutuo accipiat, quam non intendit restituere, eo quod bonorum cessionem mox sit facturus: quod decoctoribus faver, & ad aliorum rapienda bona viam sternit. At hic duorum istorum Casuistarum apertus est error.

Quarta causa a restitutione excusans est usucapio & præscriptio. Usucapio est modus, quo mobilium bonorum dominium acquiritur possessione continua temporis a lege præscripti, nempe trium annorum; ad præscriptionem vero bonorum immobilium decem annorum spatium requiritur inter personas, quæ in eadem morantur urbe, vel viginti, triginta, aut quadraginta annorum spatium juxta diversitatem rerum & locorum, pro personis quæ habitatione inter se distant.

Quatuor requiruntur conditiones, ut valida sit usucapio vel præscriptio. Prima est, ut continua adit rei possessio per totum tempus a lege præscriptum, & justus adsit titulus possidendi. Ubi enim possidendi jus deest, neque usucapiendi, neque præscribendi jus haberi potest; sicut usavenit in filiisfamilias, in servis sine dominorum consensu, in monachis, in furiosis, si furoris tempore possidere incipiant, in amentibus tempore amentia, in laicis quoad bona Ecclesiastica.

Secunda conditio est bona fides, quæ toto præscriptionis tempore durare deber; possessor enim malæ fidei nullo unquam tempore valide præscribit.

M 5

Tertia

Tertia est justus titulus, qui rei dominium perpetuo transferat; hinc res commodata, locata, mutuo acceptæ, emptæ ante pretii solutionem, depositæ neque usucapi, neque præscribi possunt.

Quarta conditio est, ne illius rei usucapio, vel præscriptio a legibus prohibeatur; quemadmodum usucapi, vel præscribi prohibentur res furto sublata, res per vim possessæ, res sacra, res religiosæ, servus fugitivus, & homo liber.

Hæ conditiones si simul adsint, communiter existimatur, qui usucapionem aut præscriptionem rei alienæ habet, non teneri illam restituere, etiamsi verum illius dominum noverit. Ego vero huic opinioni ægre assentior, quamvis civiles, canonicæque leges illam approbent; hæc siquidem leges incommoda illa a Republica avertere satagunt, quæ evenirent, si bona semper manerent incerta. Verum generalis hæc utilitas efficere potest, ut si forte aliquis sciat se rem non suam possidere, sed alienam, hanc nihilominus licite coram Deo retinere possit? Potestne Dei lex, quæ alienum retinere vetat, propter justitiæ humanæ formalitatem robur suam amittere (a)?

Docent

(a) Communior, quæ pro præscriptionis valore pugnat, sententia Auctoris suppositum negat. Non enim ille, qui bona fide præscripsit, alienum possidet pro statu, sed uti scholæ loquuntur, distractivè alienum, id est, quod aliquando erat alienum, sed Juris dispositione ex eo tempore, quo præscriptio est completa, in proprium tran-

Docent Doctores, universalem hæredem, qui rem a patre vel a consanguineo acceptam mala fide possideat, non posse præscribere; universalis enim hæres eadem cum auctore suo persona censetur, ideoque ab uno in alium mala fides transit, ita ut si ex mala fide non possit auctor præscribere, neque hæres præscribat. Diversimode loquendum est de particulari hærede, seu legatario, aut emptore; isti siquidem possunt præscribere.

Vera & tutior causa a restitutione excusans est illam faciendi impotentia; verum si debitor hanc impotentiam removeere potest, debet id præstare, parce vivendo, manibus suis operando, & mendicando. Sotus distinctionem affert inquam, si debitor est malæ fidei, qui res furto ablatas aut injuste acquisitas debeat restituere, & vitiis suis & prodigalitate in impotentiam inciderit, hic quælibet pati debet ad mendicantem usque, ut restituat; si vero debitor sit bonæ fidei, & solum ex infortunio aliquo restituere impotens factus est, hic non tenetur hanc necessitatem perpeti, nec inferius a statu suo delabi; sed sufficit, ut aliquid a solitis expensis detrahat, & parce vivat, ut restituere possit.

Donec durat impotentia, nemo restituere tenetur; sed si ab impotentia aliquis emergat, & restituere jam possit, debet restituere, quamvis impotentia tempore a restituendi onere fuerit a iudice liberatus.

SECTIO

transiit. Hanc autem disponendi facultatem Principi aut Reipublicæ competere nemo negat, nisi qui dominium altum in subditorum bona utriusque adjudicat,